

Yc

2271



(VI, 23. 6)

2.498.









Handwritten text in a Gothic script, likely a marginal note or part of a list, running vertically along the right edge of the page.





*Carmina gratulatoria*

A D

ILLUSTRISSI-  
MUM CELSIS-  
SIMUMQUE PRINCIPEM AC  
DOMINUM, D. IOHANNEM CASIMI-  
RUM, DUCEM SAXONIÆ, LANDGRA-  
vium Thuringiæ, Marchionem Misniæ, &c.  
Principem optimum, & lauda-  
tissimum,

MVNIFICENTISSIMUM  
FVNDATOREM ILLVSTRIS GYMNA-  
sii Casimiriani Saxonici, quod est Co-  
burgi feliciter apertum III. Iulij Iuliani, hoc anno  
M. DCV.

Submissæ gratulationis,  
Debitæ gratitudinis,  
Humilimæq; subjectionis ergo  
scripta.

C O B V R G I

*Typis Ducalibus, per Iustum Hauck impressa.*





I.

V O T V M

ELIÆ FRIDERICI  
VOLKENANT, U. J. D.  
ORDINARII ET CONSIL-  
arii Saxo-Coburg-Isiaci.



*Allor, an ex imo voveas, DVX inclyte,  
corde;  
Quod precor huic Cathedra, JAN-  
CASIMIRE, nova.*

*Religio sit vera DEI, sit pura LVTHERI;  
Improbis, hanc aliâ qui temerabit, erit!  
Sit Jesuita suus; Scioli sapiant sibi: cautâ  
Pulpita nostra DEVM simplicitate colant!  
Futile nil tractent Doctores: utile concors  
Semper det studium; mutuus ornet amor!  
Moribus antiquis tenera præundo Juventa,  
Res, faciant, nostra stet vigeatq; Scholæ.*

Προσφώ-



*AD PRINCIPEM SVVM  
CLEMENTISSIMUM.*

**S**anguine Ieffeo Rex & celeberrimus armis,  
Ædificare Deo gestit sacra templa domumq̄,  
Marmoreis nixam fulcris, auroq̄; superbam:  
Sed terrestre nihil placuit; renuitq̄; supremus  
Rex habitare domum. Tandem Salomone premente  
Imperio populum, Solymis de sede profunda  
Surgit opus, finemq̄; capit. Fabricator olympi  
Excitat hunc, ditatq̄; animis, formare figuram  
Sensibus internis, simul & dare jura Magistris,  
Quo res quæq; loco, quôq; ordine rite locanda.

Ecquis & hîc dubitet, patriæ Pater, optime **PRINCIPS**,  
Divinos sensisse animum sub pectore motus,  
Teq̄; ardore sacri cultus & amore Novenæ  
Turbæ, Gymnasium struxisse hac urbe Coburgo?  
Quam pulchrum! Accurrit peregrinis civis ab oris,  
Et læto intuitu fruitur, meritisq̄; **PATRONUM**  
Laudibus extollit: magis hoc, si in limine causam  
Pèrspiceret molis, faceret. Non atria defunt,  
Dux **CASIMIRE**, ac usq; novos expendere sumptus  
Te juvat, & curis crebris turbare quietem:  
Attamen & sacros redivis temerare profanis  
Vfibus haud fas est. Pofcit Themis alma suum jus,  
Pieridesq; suum Musæ, quæ in littore **IANI**  
Antè salutabant solito pro more Sorores.

Quod petit illa, tenet: jam præfidet ecce **Dicastes**  
Saxo Coburgiæ Synedrils, certisq; per annum  
Expendit vicibus causas, & lance fideli



Litigijs finem facit. Haud minor atq; SCABINOS  
Laus manet: indoctis pariter, pariterq; peritis  
Suppeditant responsa viris: neq; IURIS & ÆQUI  
Fama minor, quam Sulpitio vivente, superstes.

Sed tuus omnis HONOS, PRINCEPS: te ritè vocante  
Hac Themis urbe Lares posuit: te ritè vocante  
Approperant, DIVÛM cœtu comitante, Sorores  
Aoniæ, templumq; petunt, frondesq; tenentes  
Hospitio augusto gaudent succedere. Sic &  
Quod petière, tenent Musæ, neq; limine tantum  
Magnifico exultant: notum est, quam dotibus amplis  
Sint auctæ & vigeant! Census sine fine quotannis  
Solvitur, alma Ceres solitum & genus urbe ciborum  
Cottidiè mensas onerant: sunt digna Magistris  
Præmia: sunt fixæ leges, & jura Sophorum,  
Quæis chorus adstrictus juvenum: quæ forma docendi  
Ne gelidos fontes (quos divina arte Lutherus  
Monstravit) fœtor gravis, aut impurior unda  
Inquinet: eloquij Latij vitietvè nitorem  
Barbaries prisce seclis: quæ forma docendi  
Discendiq; simul, vagane momenta dierum,  
Ætatisq; vigor pereat sine fœnore certo.

Hoc opus hic labor est, Equitum quem nobilis ordo  
Prædicat ore pio, quem jactat Civis in urbe:  
Quem Corydon simplex! Et quî sacra Numina temnant  
Hoc decus eximium, pariter cum paupere cœtu  
Ipsa quod acceptant, & pollicitantur abundè  
Compensare bonis? Novit FUNDATOR, id ipsum  
Præmeditans, & nobile opus majoribus ausis  
Aggreditur, sentitq; manu auxiliante IEHOVA  
Cedere, & ad lætum finem properare labores.  
At nunc perfectis rebus, quæ digna rependi

Gratia



Gratia pro meritis poterit, celsissime PRINCEPS?  
Fidum te patriæ PATREM, Musisq; PATRONUM  
Plus satis ostendis, minor est nec adorea laude  
Majorum, quibus ardor erat sincera tueri  
Dogmata Marte truci: nunc major ab arte Sophorum  
Vis metuenda pijs: neq; Marte, sed arte Scholarum  
Infringi reprimiq; potest. O cura paterna  
Quid non sollicita librâsti lance futurum?  
Retribuat DEUS omne tibi cum fœnore triplo,  
Chare PATER patriæ: faciat quoq; prole frequente  
Telætum tandem PATREM: pia pectora FRATRUM  
Conjungat nexu stabili: moderetur habenas  
Ipse gubernaculi, pacemq; in finibus ipse  
Conseruet nostris, & te, cum CONIUGE dulci  
Labentis mundi faciat superare senectam.

Hoc precor extremum, precor & dum sidera cerno.  
Ut vigeant nova tecta Scholæ, simul atq; Magistri  
Discipuliq; Coburgenses, sine murmure latis  
Legibus obsequium præstent, & pectore grato,  
Quod dedit atq; dabit celsi pia dextra PATRONI,  
Accipiant. Sic justus honoste IOVA manebit,  
Et quoq; te, illustris PRINCEPS: sic jugiter artes,  
Virtutisq; decus jucundo flore vigebit.

*Debita gratitudinis, & boni ominis ergò*  
F.

Celsitudinis ipsius Consili-  
arius I.

*Johannes Bechstetus D.*



## P A R Æ N E S I S

*Ad Studiosam iuventutem.*

**H** Vc ò cara veni, veni iuventa  
 Felix ingenio politiori  
 Pollens ingenio capaciore,  
 Dulcis cura Ducis, Deoq; grata.  
 Huc ò ferte pedem, quot estis, omnes,  
 Doctrinæ cupidi salubrioris:  
 Et vos progenies Iovis Camcenæ,  
 Quæ ludos colitis remotiores,  
 Nec non Castalides adeste Musæ,  
 Atq; harum Charites decus Sorores:  
**E**n Dux IAN CASIMIRUS ille primus  
 Inter SAXONIÆ Duces, ob annos:  
 Dux fortis, sapiens, pius, benignus,  
 Gratas constituens in urbe, sedes,  
 Nobis auspicio dedit secundo.  
 In factò stat opus, vel inter omnes  
 Moles structa Scholas, & arte splendens,  
 Hic artis genus omne prælegetur,  
 Quæ vitæ poterunt levare cursum,  
 Describent alij situs polorum:  
 Tractabunt alij Periclis artem:  
 Nec deërent Maro, nec Naso Poëtæ:  
 In primis ibi vox sacrata Verbi,  
 Linguarumq; decus trium sonabit:  
 His & junget opem Themis fidelem,  
**A**c primas, Physicus docebit, artes:  
 Pro tantis meritis precando Christum:

Huic



Huic ut pax operi sit alma semper:  
Qui primum & lapidem locavit, ipse  
Dux famam, sobolem, decus perenne,  
Cum Fratre, in Pylios reportet annos;

*Quam*

*Humilima subjectionis ergo*

F. Stephanus Schelhase D.



IV.

ENCOMIUM ANAGRAM-  
MATICUM SIMUL ET GRATV-  
latorium inaugurationis illustris Gymnasij Co-  
burgici, hoc anno M. DCV. V. Non. Julij

*solemniter peracta,*

IOANNES CASIMIRVS, DVX SAXONIAE,  
LANDTGRAVIUS THVRINGIAE,  
MARCHIO ITEM  
MYSNIAE.

IN TETRASTICHO ANAGRAMMATICO, GRA-  
TVLATORIO ET VOTIVO.

*Elisa particula Item in posteriori Disticho, & litera T. aliàs su-  
perflua in dictione Landgravij:*

G YMNASIVM LAVDATE EREXIT,  
XÆNIA DANS SVIS:  
ARRHA NOVI SIGNI HOC VNICA;  
AMORIS ITEM,

HIC



HIC ANNIS SENII MVNDO SIT SAL-  
VVS, IO, AXI:  
E GRATA RE MAGNVM, ANXII IO.  
ARRHA, DECVS.

*Humilima subjectionis ergò oblatum*

à Iohanne Adamo Trummerero  
Bambergensi I. V. D.



V.

*Ad Illustrissimos Principes ac  
Dominos:*

DN. JOHANNEM CASI-  
MIRVM, & Dn. IOH: ERNESTVM,  
Saxoniae Duces, &c.

*Dominos suos clementissimos.*

S Vnt pueri & juvenes divinae tela pharetrae,  
Quae DEUS arbitrio promit agitq; suo.  
Sunt quos ille Scholis: quos sacris destinat aris:  
Sunt quos imperij sceptrum tenere jubet:  
Deniq; muneribus varijs distinguimur omnes:  
Adq; suum quemvis dirigit ille scopum.

Et tamen ante SCHOLIS tela haec, dum flexilis aetas,  
Artifici tradit perpolianda manu.

HAS quicunq; struunt, augentq;, ornantq;, fovantq;,  
Rem faciunt, qua non gratior ulla Deo:

Qua



Qua non utilior templis, sceptrisq; potentum:  
Et qua tota hominum vita carere nequit:  
Rem faciunt dignam toto celebratier orbe:  
Rem dignam à sera posteritate cani.

**M**ACTI ergo **H**EROES: fortissima pectora, bini,  
O Patres patriæ, Saxonixq; **D**ECUS:  
Dum Schola munificè **C**OBURGI structa vigebit,  
Perpetua vester fronde virebit honos.  
Regnet in hac pietas; virtus, doctrinaq; regnet:  
Regnabit vestrum perpes in orbe decus.

*Cum debita animi subiectione scripsit*

Zacharias Brendel Phil. & Med. D.

& in Salana Prof. P.



VI.

**G**ymnasia excultis dum condis splendida Musis:  
Municâ doctos & pietate foves:  
Patris, avi, proavi, patrui vestigia magni,  
Et tritavi sequeris **I**ANCASIMIRE pia.  
Macte animi hac virtute tui, Celsissime Princeps:  
Et Pylij supera secula longa senis.

*Elias Reusnerus L.*



VII.

**A**dificare domos, ac celsis montibus altas  
Ponere queis curæ est arces; & cingere muris  
Urbes; hos passim cives mirantur, & ore  
Dilaudant pleno: Labor hic nam commoda vitæ

b

Multa



Multa affert hominum; Sedes decoratq; paternas:  
 Sed tibi quos plausus, quas laudes IAN CASIMIRE,  
 Saxonidos, tribuent homines, Dux inclyte terræ:  
 Dum nova Coburgi moliris splendida Musis  
 Tempa; viros precio conducens undiq; doctos;  
 Literulas pura ut cum religione propagent  
 Castas; quæ verè scatebræ sunt fonsq; bonorum  
 Et sacer, & dulcis; quo non fœcundior ullus.  
 Digna feras pietate tua Dux præmia Magne  
 Magna: tibiq; Deus concedat Nestoris annos;  
 Et tecum fervet florentes sanguine junctos  
 Heroas; pia qui faciunt hæc oia nobis,  
 Oia quîs fruimur sub vite atq; arbore nostra:  
 Vivite felices, concordēs vivite longum;  
 Et, quod jam facitis, Musas, artesq; fovete  
 Ingenuas; semperq; pios defendite cœtus;  
 Gloria sic ingens, sic præmia digna manebunt  
 Vos; vestrosq; DEUS conatus esse saluti  
 Civibus ac Patriæ, clemens placidusq; jubebit.

*Iohannes Zolner M. Prof. Pub.  
 Acad. Ienensis.*



VIII.

**D**I CASIMIRE tibi, cælo gratissime Princeps,  
 Dent, quæcunq; voves, & munera digna rependant,  
 Tantis pro meritis, & tam præstantibus ausis:  
 Quòd grato teneras hac tempestate Camænas  
 Excipis hospitio, magniq; perennia felix  
 Fundamenta locas, & tecla superba Lycei,  
 Doctrinaq; foves avidam, pascisq; juventam.

Hos



Hoc opus, hic labor est, per tot discrimina rerum,  
Per duros aditus, per inhospita saxa, per ignes  
Carpere laudis iter. Non te violentia fati,  
Non miseranda Patris fortuna, nec aspera magni  
Conditio labefecit Avi: non orba Iuventus  
Tam varijs exposita malis: non rara supellex  
Navifrago disjecta mari: non aris & auri  
Pondus, & infecti pariter factiq; talenta,  
Debita quæ tacitis poscunt simul ocia Musis.  
Non te Sardoo postica calumnia risu,  
Et vanis operosa jocis, mitissime Princeps  
Perculit, & cæpti revocans à tramite flexit  
Consilij: Sed tu contrà fidenter eundo,  
Fortunamq; premens animo documenta dedisti:  
Quòd Pietas oppressa malis, velut ardua sursum  
Palma comas pandat: cæcis & operta malorum  
Luceat in tenebris Virtus: quòd, corporis instar,  
Mens generosa queat nullis, quæcunq; parentur  
Vincula, constringi laqueis: quin exit in altum  
Libera, nec vano magnum per inane volatu  
Ad Superos molitur iter, miserosq; tumultus  
Et stolidas hominum despeçtat ab æthere curas.

Nunc igitur nova stare novi delubra Lycei  
Cernimus, è solido delubra recentia Saxo  
Conditæ, quæ nunquam, nisi de pontana vetustas  
Exedet, & longi sub jus quoq; miserit ævi.  
Iam vicinus ager, letisq; dicata Camænis  
Rura novis gaudent: sed fertiliora Colonis  
Gaudent, & Lybicus sua messibus horrea rumpunt.  
Iam populosa suos, & Martis, & artis alumna,  
Francia submittit natos: jam convolat omni  
E regione sequax pubes, quam proxima nutrit



Dives agri, glastig, ferax, dulcisq, Lyai  
Tyrigetum tellus: quam terra Varisca, paternis  
Saltibus eductam, sacri juga florida montis  
Ascensu superare iubet, Sophiaq, potentes  
Ferre gradus quicumq, labor subeundus ad arces:  
Quam Meliboe tuis e vallibus aspera fundit  
Hassia: quam Rhenus, quam turbidus educat Ister,  
Aut Lycus, aut Athesis, regioq, frequentior olim  
Tauriscis habitata Viris, nunc orba suorum  
Scilicet exilio. Sed non opus, omnia versu  
Ut loca commemorem. Iam pulpita laeta docentum  
Voce sonant, & sacra Dei responsa volutant.  
Iam dubios mystes laqueos utriusq, retexi  
Iuris, & ambiguas certo secat ordine lites  
Iam reserata patent Sophia penetrabilia: cuius  
Antepedes Logica resident, ita convenit artes.  
Leviam Musa tenet, qua mentis acumine largas  
Natura rimatur opes, quas sidera Caeli,  
Quas mare, quas tellus, ignisq, supernus, & aer  
Exhibet. Ad dextram solio consedit eburno,  
Illa gubernatrix vite, morumq, Magistra,  
Qua turpi licitum caute secludit honestum;  
Tum privasq, domos, & publica munera curans,  
Qua ratione queas traducere molliter ævum,  
In Portumq, tuam monstrat subducere cymbam.  
Fervet opus, resonantq, sacris concentibus aure.  
Iam metit egregios horum devota laborum,  
Inq, Dei cumulat laudes, Ecclesia fructus:  
Iam firmata novis Respublica dives alumnis,  
Ut Pelagi rupes immota resistit, & omnes  
Æquoris assultus, circumlaurantibus undis,  
Mole sua frangens dubias elidit arenas.

Iam



Iam Coburga suo propè sidera vertice pulsat,  
Et bona quæ largi dedit indulgentia Cæli  
Mente putat tacita secum, gratisq; subinde  
Computat articulis. Deus hanc magis omnibus urbem  
Ipse fovet præsens, colit ipse, sibiq; calentes  
Hic struit ipse focos, sacrumq; resuscitat ignem.  
Hic gravis aula Ducis Patriæ moderatur habenas,  
Et resides placidâ civis in pace gubernat.  
Hic altâ sita rupe, cavis circumdata fossis  
Arx jacet, & muris, valloq; suisq; minatur  
Turribus in cælum, pavidosq; viriliter hostes  
His procul à terris arcet flammisq; coruscans  
Tela Iovis, magniq; sonos imitatur olympi.  
Terra tremit, sylvaq; tonant, vallesq; resultant:  
Agricolæ humilis sternit pavor, inq; gemiscunt  
Matres, & teneros pressant ad pectora natos.  
Hic quoq; Iuridici novus, & sacer ordo Senatus  
Iura dat, & populis quid fasq; nefasq; benignis  
Responsis aperit: qualis fuit inclyta quondam  
Curia Cecropijs, ubi Martis vicus Athenis.  
Hic nova laurigeris educata palatia Musis,  
Perpetuò mulcent aures, & pectora cantu,  
Assiduasq; Deo laudes & carmina dicunt.  
Hic gelidi roris globuli de vertice Phæbi  
Manant & teneras levis humor inebriat herbas.  
Hic Aganippææ novus exilit impetus undæ,  
Et terræ patulas Germanidos irrigat oras.  
O nimium felix Coburga, quaterq; beata,  
Si tua cognôris bona, si bene noveris uti.  
O te felicem Patriæ Pater, Optime Princeps,  
Ensifero generatus avo, longoq; potentum,  
Si genus enumerem, deducîus ab ordine Regum,



Te Duce, te magno feliciter auspice tantum  
Cæpit opus, serosq; manens super usq; nepotes  
Virtutem laudesq; tuas, & nomina totum,  
Quà Sol exoritur, quà mergitur æquoris unda,  
Quà Pietas, & sacra fides, diffundet in orbem.

DI faciant multos CASIMIRE quietus in annos  
Vt terras moderè tuas, patrioq; gubernes  
Imperio, legesq; sacras tueare malorum,  
Quas meruère sibi pænis, & honore bonorum,  
Vt facias blandis, ceu jam facis, ocia Musis,  
Doctorumq; trahas tecum laudanda virorum  
Agmina: quo non est comitatus honestior ullus.  
Vt Pietas, & cana fides, & vivida virtus  
Liberaper totam ponant vestigia terram  
Et Patriam largo ditet bona copia cornu.  
Deniq; ne desit Patria qui ludat in aula  
Parvulus, & blandè Matremq; Patremq; salutet,  
Succedatq; bonis bonus ipse Parentibus heres.

V Wolfgangus Heider M. Log. & Eth. P. P.  
in inçlyta Acad. Ienenfi, debitæ subjectionis ergò fecit.



IX.

PARODIA HORATIANA  
ex lib. 4. Carm. Oda XIV.

Q Væ cura Patrum, quæve virum fides  
Plenis honorum muneribus, tuam  
Mentemq; virtutesq; in ævum  
Per memores, CASIMIRE fastos  
Æternæ



Æternet? ô quâ Phœbus ad inclytas  
Transcurrit oras, optime Principum,  
    Qui patriâ fessæ Camœnæ,  
    Et Charites didicêre nuper  
Quid mente posses. Numine nam tuo  
Nuper COBURGUM magna palatia  
    Extructa Musis vidit auras  
    Surgere per medias, minasq;  
Mirata pubes, viribus hinc suis  
Codros bilingues, implacidum genus,  
    Moplosq; crudos impolitæ  
    Disjicietq; animos juventæ.  
Speantur in certamine Musico  
Devota Musis pectora liberis  
    Sumptu tuo, finguntq; rivum  
    Propter aquæ salientis hymnos.  
Sic perge Princeps sicq; tuos fove  
Atq; irruentes protere Cerberos,  
    Magnis fatigant qui ruinis  
    Sollicitas studijs Camœnas:  
Vt Sala rupto volvitur aggere,  
Cum crescit undis ex pluvialibus,  
    Et sævit, horrendamq; cultis,  
    Diluvium minitatur agris:  
Sic doctiorum Marulus agmina  
Invisa vasto proruit impetu,  
    Primosq; & extremos metendo  
    Ridet, inops sine laude mentis.  
Tu copias, tu consilium, & tuos  
Præbes favores. En tibi quo die  
Doctis, salus cœlo profecta  
    Magnificè patefecit aulam,

Fortuna



Fortuna cœptis prospera dexteris  
 Vltrò secundos reddidit exitus  
 Laudemq; & optatum paterno  
 Imperio decus arrogavit.  
 Te Phœbus, & qui doctior uspiam  
 Floret chorus, te cum Themide & Fides  
 Mirantur. O tutela præsens  
 Imperij, Charitumq;, Phœbiq;.  
 MAIUS BONORUM VIX DECUS EST DUCUM,  
 QUAM DOCTIORI PRÆMIA PONERE,  
 FACTISQUE LAUDANDIS, ET ÆQVIS  
 ADIICERE INGENIIS HONORES.

*M. Thomas Sagittarius P. L. Cæs. &  
 Græca Ling. Prof. P. in Acad.  
 Ienensi.*



X.

**L** Aus Summo: Tandem emicnere cacumina montis  
 Aonij in patrio, MUSA COBURGA, solo.  
 Tandem nummosi venit hora & meta laboris,  
 Aerar1 moles iussa valere venit.  
 Et lapis & lignum coaptari cessat ab armis:  
 Tandem, laus Summo, STAT SCHOLA, SPESQUE  
 Vox erat hæc vulgi: hoc opus haut ex pulvere furget, (nova.  
 Nil erit; ante ortum concidet istud opus.  
 Fama sinistra (malum) fuge; STAT Schola, STABIT in ævum,  
 Ni, ruet hæc unquam, cœlitus alta ruant.  
 Culta domus, permagna domus, domus amplaq; honore,  
 Claret imaginibus parjete picta domus.

Multo-



Multorum nostra dignum regione LEVAMEN,  
*Vndiq; magnificis dotibus aucta domus.*  
Pro miris, CASIMIRE, decet quid reddere donis;  
*Mirus enim in patriam rarus & hic amor est:*  
Nil, factum quod opus, TE non fecisse fatemur,  
*Pro tantis curis quid CASIMIRE decet?*  
Laus CASIMIRE TIBI; TIBI Gratia; Gloria surgat  
*Magna tui, Princeps inclyte, surgat honos.*  
STAT Schola per pura, Carolina lege recepta  
*Anno ter decimo, religionis opus,*  
Quam LIBER enodat sano, CONCORDIA, sensu,  
*Dictus ab ORDINIBUS; QVEM Deus ipse probat.*  
Floreat istud opus; namq; est habitatio IOVÆ  
*Sacra Triunius; frugifer hortus erit.*  
GYMNASIUM CASIMIRIANUM quod nomine di-  
*Autoris referens nomina CELSA sui.* (Etum,  
*Autor ut HIC bonus est, sic non bonus absit in illo:*  
*Doctor & Auditor cesset adesse piger.*  
Floreat istud opus; floreant cuncta COBURGI  
*Hoc stante: hic DEVS est: plaudite cuncta cohors.*  
Vive diu, CASIMIRE, diu maneatq; superstes:  
*Gymnasij fuges Gymnasiarcha metas.*  
Floreat istud opus, florescat cætus in illo,  
*Donec ad æternam detur adire Scholam.*

M. Caspar Lieb Ecclesie  
Coburg, Diaconus.



DE





DE PRAECIPUIS  
QVIBVSDAM VRBIS COBUR-

CENSIS ORNAMENTIS; MAXIME AUTEM  
Gymnasio Casimiriano, quod cæteris nu-  
per accessi:

CARMEN

ANDREÆ HENÆI P. L.

*Pastoris Breitenaviensis in Franconia, & designati Pastoris  
VVangenheimensis in Thuringia.*

Q Vando COBURGIACAM veni novus hospes in ur-  
Lustrandæq; eius magna cupido fuit; (bem,  
Vidi multa satis, quæ scribi digna putantur  
Carminibus Vatum, quos ibi Phœbus habet.  
Quattuor ipse domos ô si tantummodo possem,  
Dignæ ut sunt, numeris concelebrare meis!  
Sed tentare licet. Defectum suppleat, illas  
Qui præ me civis semper & hospes adit.

r.  
Tem-  
plum. P Rima domus TEMPLUM est sublime. Hanc incolit  
Vnâ cum verâ RELIGIONE, DEUS. (ipse,  
Eius in hac Verbum auditur cœleste: quiritat  
Eius in hac illi credula turba domo.  
Nominis hîc eius; hîc gloria numinis eius  
Christicolæ gentis læta per ora volat.  
Hîc miracula eius vario modulamine cantant  
Cum senibus pueri, cum puerisq; senes.  
Hîc DOMINI currûs sunt; hîc exercitus; hîc quæ  
Exhorret Satanas illius arma micant.

Hac



Hac mihi in æde sua solamina blanda laborum  
PRÆCONUM doctâ voce I E H O V A dedit.  
Quæ dum jam memori mecum sub corde voluto,  
Exsili migrat protinus inde dolor.  
O Templum! ô Domini domus hospita! Relligionis  
Sedes! ô verbi sacra cathedra sacri!  
Quid tibi (namque juvat felicia quæq; precari)  
Primùm ac præ reliquâ commoditate, precer?  
Fallor? an ut possit te noscere ritè C O B U R G U M?  
Sic etenim posthac, jam quod es, esse potes.

**G** L O R I A virtutum comes indefessa secundam  
Occupat illarum, quas modò laudo, domum,  
Nomine fortassis, rogitas? ita dico: sed à quo  
Haut res ipsa, rei splendor & almus abest.  
Nam quia S A X O N I Æ D U X C H R I S T I quærit hono-  
Sinceræ curat relligionis opus: (rem:  
Fert in honore, D E U S quos donis pluribus ornat,  
Quâ sint cunq; quidem conditione, viros:  
Virtutes amat, & qui sunt virtutis amantes:  
Cæteraq; I L L U S T R I P R I N C I P E digna facit.  
Conspicuos hinc non tantùm ipse meretur honores,  
Magnorum Imperii pars quotacunq; Ducum:  
Verùm magnificam simul I P S E M E T incolit arcem,  
Ardua quæ jubari G L O R I A structa tuo est.  
Nobilis, ut primùm cœpisti stare, fuisti;  
Nobilius nostro tempore nomen habes.  
At te nobilitent magis ac magis, O R O, deinceps  
D u x virtute suâ; G L O R I A sole suo.

**T** E R T I A, præ reliquis mihi quæ placuere, domorum  
CONSE tibi sacra est, & tibi sacra T H E M I S.

2.  
Arx Du-  
calis. Dte  
Fürstliche  
Ehren-  
Burgk.

3.  
Cancellaria.



Consilium magnis quoties de rebus habendum est

Hac consulta solet turba coire domo.

Nimirum alma Dice: Pietas gratissima coelo:

Veri Diva tenax: Et sine fraude Fides:

Candida Dexteritas: Prudentia gnara futuri:

Quæq; potest dulci fame Suada loqui.

His bene consultis, P R I N C E P S, populiq; suisq;

Qui bene prospiciat rebus, ubiq; videt.

Hac quoq; in æde Themis, trutinâ quæ judicat æquâ

Res hominum certum cuiq; tribunal habet.

Hinc illam metuit cane pejus & angue malignus;

Prosequitur verò debito amore pius.

Hinc ego dixi: Oculos vigiles auresq; patentes

Principis hæc nostri splendida tecta tenent.

Iustitiæ LIBER hîc; hîc LIBRA recumbit, & ENSIS,

Et quæ pro nervis plura habet alma Themis.

Illustret patriam domus hæc illustris amatam

Oro, consiliis judiciisq; suis!

4.  
Curia Se-  
natoria.

**E**T meritò. Te præcipuis quoq; CURIA scribo,

Quas laudo novus hâc hospes in urbe domos.

In te communis residet pia cura salutis,

Proq; quiete urbis, proq; salute LABOR.

Ad te quæcunq; est urbi querimonia fertur;

Civis & ante Ducem Te petit omnis opem.

Tu magno nostri curarum Principis aulam,

Quo modò cunq; potes fasce levare, levas.

Atq; ea quoad rectam legum expediantur amissim,

Et totâ nemo possit in orbe queri:

Conveniunt cunctis hîc in te pænè diebus

Consiliis gravium turba vocata Patrum.

Stipat



Stipat eos summi Reverentia Numinis, & quæ  
Diva pari tribuit lance cuiq; suum.  
Est comes his Gravitas, & amans gravitatis Honestas,  
Est quoq; virtutum cætera turba comes.  
Accedit R A T I O doctrinâ nixa potenti,  
Rebus & in cunctis utilis, O R D O decens.  
Talem si Patrum, quod jam facis antè, coronam  
Ritè coles, perpes fama futura tua est.

**T** Alibus, at tacito tantum sub pectore, verbis Schola.  
Laudabam ornatas quattuor hæc domos,  
Iamq; S C H O L A M simili affari ratione volebam:  
Urbis non minimum cum sit & illa decus.  
Sic (bene si memini) nimirum. Hic hortus hic ille est  
Urbs hæc jucundo quo modò flore viret.  
Hic illæ crescunt positæ suo in ordine plantæ  
Quæ jam dicta olim tecta superba colent.  
Cumq; simul mecum nomen gentile moverem  
Qui datus est pueris Gymnasiarcha, F A B R I;  
Hic, dixi, fabrica est illorum docta virorum,  
Qui fabricant animos arte decente rudes.  
Concipere ut veræ pietatis vivida possint  
Semina, in hoc vitæ vere rubente suæ.  
Hic hic affabrè F A B E R ipse politior omni  
Doctrinâ & studiis turba novena tuis,  
Cum sociis operum, magno sudore, juventæ  
Pectora præceptis expolit ipsa bonis.  
Ut doctos etiam venturi temporis ætas  
Urbis in his habeat mœnibus usq; viros.  
Qui templis præsent, patriæ qui publica curent  
Commoda, diversis ædificentq; modis.  
Hoc majus longè est, quàm si Lypareius acri  
Ferri duritiem Mulciber igne domat.



# GYMNASIVM ILLVSTRE.

**H**Æc ubi sic mecum tacitâ tum mente movebam  
Deludo & ludi flore COBURGA tui:  
Magnis ecce recens constructam molibus ÆDEM  
A sacra vidi non procul æde DEI.  
Convertens oculos in eam; quisnam, inquo, tantus  
Est dominus surgit cui modò tanta domus?  
Quis sumptûs tantos terræ e magnatibus hujus,  
SAXONIÆ excepto PRINCIPLE, ferre potest?  
Et sanè (quippe ejusdem hîc insignia cerno)  
Alterius non est, quàm DUCIS, istud opus.  
Quos illud verò, & quales molitur ad usus?  
Numne suum hic ponet fortè Tetrarcha larem.  
Hæc ego dum miror, cum Musis illicò ibidem  
Obvius hæc ad me cœpit APOLLO loqui.

APOLLO.

**H**aud tuate fallit sententia. Condidit istas  
Aedes SAXONIÆ Dux illustrissimus; Is quî  
EVVIDEKINDÆIS heroibus editus heros  
Hoc ævo istius terræ moderatur habenas  
Verùm non sibi, vel proprios duntaxat ad usus  
Aut generis splendorem aut posteritatis amata  
Commoda, ceu reliquas alibi quas erigit arces:  
Sed MIHI, sed nostris hæc condidit atria MUSIS.

Cum multis etenim PRINCEPS illustris ab annis  
Cognôrit, se non sibi met tantummodò natum,  
Nec proprij ut querat solum compendia lucri  
Venisse ad rerum istius regionis habenas:  
Supremum esse Deum cœli terræq; Monarcham,  
Et per eum mundi cunctos regnare Dynastas;

TOTUS



Totus in hoc primam est ad avorum exempla sacrum

Vt certam sub se nullo non tempore sedem

Religio teneat sincera: ea namq; quadrigis

Plenis ferre solet secum bona vera salutis.

Alteracura Ducis fuit huc adducere multa

Quos virtus simul & prestans doctrina politos

Constituit. Successit & hoc. Prudentibus ejus

Aula viris floret. Sunt hic enigmata Iuris

Qui norunt, hominumq; ideò dissolvere lites

Egregiè callent: Sunt qui feliciter artem

Exercent medicam, & multis sunt causa salutis:

Non desunt Vates felici carmine clari:

Vivunt hic cedro qui digna loquuntur: habentur

Hic qui dulcisoni cantus modulamine mulcent

Aethera: non nemo hic celsi laquearia caeli

Rimatur. Sunt hic alijs quos recta virorum

Doctorum censura suis quoq; caetibus addit.

At licet hisce satis Dux hoc se instruxerit aro:

Contentus nondum tamen est; majore Ducatum

Cura ornare suum ventura in saecula laborat,

Hac nempe aede novâ, quam nobis grandibus idem

Sumptibus huic Templo vicinam extruxit & aula.

Vtq; benigna Ducis tibi notior esse voluntas

Possit eamq; suo tu postmodo tempore laudes

Carmine, da patulas Musarum cantibus aures.

## CALLIOPE.

**F**LORIDI dudum fuit instar horti

Ludus hic: nam quis neget hoc? Sed hujus

Commodo fermè, puto, singulari

Consitus urbis.

Illum



Illum odoratis decoravit olim  
Flosculis multifariam LIBAVUS  
Lauriger Vates medicaq; clarus  
Doctor in arte.

Est in hoc ipso quoq; totus, unâ  
Cum suis doctis operum Synergis  
Iam FABER, pulchrè ut niteat per omnem  
Hortus hic urbem.

Plantat ex nostris in eum rosetis  
Quæ videt certò pueris futura  
Vfui. Sed jam locus ejus haud est  
Dicere laudes.

Hæc domus verò fabricata magno  
Principis sumptu est, novus hortus ut sit  
Quo frui possit simul omnis hujus  
Ora Ducatus.

Hic enim felix seges optimarum  
Artium crescet: studio irremisso  
Hic Sacræ, Grae, Latinaq; linguae  
Dona colentur.

Semen hic verbi DOMINI feretur  
Largiter: sparget Themis alma flores  
Hic suos: huc se celebres frequenter  
Arte medendi

Conferent: Hic se dabit intueri  
Rite natura ingeniosa nudam:  
Hic suas gazas referet juventæ  
Aurea virtus.

Hic Cabalinos scatebris liquores  
Pluribus Musæ dabimus, Tenebris  
Hic sibi longè penetrabile gratum  
Innuba Pallas,

Huc



Huc apes ergò veluti Matinæ,  
Ex locis multis celeri volatu  
Artium ut carpat thyma grata, fundet  
Gnava juventus.

### C L I O.

**I**N tres præcipuè domus celebres  
Suam distribuit I E H O V A gentem.  
Illarum prior occupata tota est  
Verbi munere publico docendi.  
Secundam penes est apex & orbis  
Hujus imperium. Suas, duabus  
Sub his, tertia res procurat intus,  
Et multo manuum labore victum  
Pro se proq; suis parare tendit.

Istæ ut stare queant domus I E H O V A  
Immotæ quoq; sæculis futuris,  
Adversus Stygiæ cohortis astus  
Expugnare quibus laborat illas:  
In hac æde nova novi Lycæi  
(Quod Scholis fit in omnibus piorum)  
Ars magistra T R A B E S valentiores,  
Et firmas benè fabricet C O L U M N A S.

Quis præconia digna corde & ore  
Panget S A X O N I Æ Duci universo  
Hac mundo ratione consulenti?

### T H A L I A.

**D**At hinc videndas litteris virorum  
Illustrium, pictoris ars periti  
I M A G I N E S. L U T H E R U S hic Theander:  
Hic est M E L A N T H O N Teutonum magister

Æquo



A quo vocatus jure. R A M U S hic est  
In artibus præcepta cujus omnis  
Fermè juvenus jam dicata nobis  
Gaudet sequi. Stant hìc vetustioris  
Ævi, vides, doctissimi in quibusq;  
Scientiis atq; artibus togatis,  
Quos nominatim singulos referre  
Quid est necessum? Præstat expedire  
Qua mente S A X O D U X novæ benignus  
Hujus Scholæ fundator hosce tales  
• Huc jusserit pingi viros decenter.  
Hoc scilicet factum. Quod & per illos,  
Hic qui videntur, ritè liberales  
Invenerint artes suum decorem,  
Eaq; magno pòst labore eorum  
Sint hoc in ævum traditæ supremum.

Hos intuens porrò virens juvenus  
Frequentat has quæ diligenter ædes  
Sic corde sæpe dicat. Hic aperta est  
Magnâ Ducis de liberalitate  
Cuiq; nostrum, S P I R I T U S sacrati  
Tales viros quæ cudat OFFICINA.

### E V T E R P E.

Q Vi spectat ædes proximus hic sacras,  
Forum, atq; clarum nomine G L O R I Æ  
Arcem, D u c i s magnâ arte factam  
Angulus effigiem tenebit,  
Auro & coruscant. Posteritas sequens  
Ut certa semper sit, simul ac memor  
Quis hujus fundator decori  
Munificus fuerit Lycæi,

Idemq;



Idemq; Princeps qualia subditi  
Sibi popelli commoda sedulo  
Promoverit fundatione hac  
Gymnasii studiis quibusq;  
Florentis. Vfus restat imaginis  
Et hic Ducalis. Officii sui  
Vtrinq; debent admoneri  
Discipuli simul & docentes.  
Illam intuendo. Munificus jubet  
Dux hinc doceri quæq; salubria  
Iuventam ad hujus vitæ honores,  
Perpetuamq; animæ salutem.  
Ast illa præstò talia gnaviter  
Addiscat. Hæc qui debita negliget  
Præsentis hinc tanquam & videntis  
Principis is metuat rigorem,

### E R A T O.

**E** RGO SAXONIÆ Dux quoniam pius  
Doctis usq; viris sic favet, ac domum  
Hanc nobis gravibus sumptibus erigit  
Contra Barbariem feram:  
A nostris referat præmia cœtibus  
Laudum. Semper erunt hinc celebres viri  
**I** L L U M qui melicis carminibus suis  
Astris suaviter inferant.  
Ejus ceu proavi Saxonix Duces  
Vivunt perpetuo nomine, pluribus  
Doctorem historiis, inq; celebrium  
Vatum præcipuè libris,  
Quod nostris dederint hospitium choris  
Nimirum in Philyres mœnibus arduis,



Arctoi vitreum flumen ad Albidos:

Salæ in valle Turingici,

Ac multis aliis Misnidos urbibus

Sic fama memori Dux celebrabitur

Qui nos hac recipit munificus domo

Post vitæ ultima funera.

## P O L Y H Y M N I A

**Q** Vis sceptrâ sit gesturus hujus

Scholæ Ducalis olim,

Haud est meum referre certò

Iam nunc; diès eundem

Mox arbitror dabit. Quis autem

Futurus ille cunq; est

Hunc gratulando me juvabit

His occupare verbis.

Salve novi præclare Iudi

Rector. Vides ut unum

In te suos convertat oculos

Cum civitate PRINCEPS;

Imò omnis hæc vicina tellus,

Quam SAXO Dux gubernat?

Qualem tibi commendat hortum!

Quam tradit officinam!

Quàm flosculos habes virentes,

Quos irriges decenter.

Quàm truge cum multâ polire,

Talem potes juventam.

Quanto vicissim cum periculo

Tu negligas eandem!

Quod ergò te decet, fidei

Curâ memento præstes

Si



Si gratus haud satis sit orbis  
Tuae fidelitati;  
Tibi futurus ampla merces  
Ter maximus I E H O V A est.

## TERPSICHORE.

**M**ENS nota P R I N C I P I S: placet  
Nobis locus pulcherrimus:  
Rector futurus commodus  
Quid amplius fari queam?

Iuventa dives ingen  
Bonitate sit; sit obsequens:  
Precor Scholæ fidelibus  
Simul Synergis omnibus.

Sit grata; tales ac domi  
Habeat parentes; optimi  
Domi forisq; crebra det  
Documenta profectus sui.

Sic sic, putabo, maximus  
Aliâs labor, remissior  
Latuq; fiet gratior  
Quæscunq; præceptoribus.

## MELPOMENE.

**S**IT eis quibus illa iuventam  
Dabitur pia cura regundæ  
(Precor hoc ego) tempore nullo  
Mens non pertasa laborum.

Hominum nil monstra ea curent  
Quibus est mos atq; voluptas





Centum vix asse liceri  
Præceptores puerorum,  
Gravis in tenui labor ille est  
Equidem; quis enim negat illud?  
Tenuis non gloria verum  
Nec commoda parva sequentur.

Reputent secum esse I E H O V A M  
Qui ad justam appendere lancem  
Norit cuiusq; labores,  
Dare dignaq; præmia rectis.

### V R A N I E.

**M**igret huc ætate florens  
Integrâ juventa. Namq;  
Ludus hic viris politis  
Optimisq; disciplinis  
Luculenter instruetur  
Liberalitate magnâ  
Saxonum Ducis benigni,  
Cæteras Scholas ut inter  
Teutonum quæ sunt in oris  
Gemma ceu quædam enitescat.  
Quippe non duntaxat artes  
Liberales atque linguæ  
Hac in æde diligenter  
A viris pereruditis  
Excolentur, ut juventæ  
Notior compendiosa  
Sit via illa, quâ decenter  
Possit hoc in orbe ad altum  
Culmen evolare honorum:  
Sed simul cum fruge multâ

Hic



Hic iuventa deprehendet  
Quâ viâ venire possit  
Ad beatitatis ipsam  
Regiam, ac veram salutem,  
Quo piorum cætus omnis  
Mente corporisq; totis  
Viribus (sic namq; debet)  
Nititur, venire tandem.

**H**æc de Gymnasio illustri referabat Apollo;  
*Hæc Musas memini tum cecinisse mihi.*

*Tempore, ad illa, isto quo res effecta, quid ipse*

*De verbis addam porro referre meis?*

*Præter vota nihil de corde profecta. IEHOVA*

*Omnis qui solus fons & origo boni est,*

*Hoc, quod cæpit, opus confirmet, & hostis ab ausis*

*Tartarei dextrâ muniat usq; suâ.*

*Temporis accessu magis ac magis ampliet illud:*

*Addat ad illius quod videt esse decus.*

*Sit, quod Musarum mihi maxima dixit, ad instar*

*Horti propter aquas fertilis, ista domus.*

*Sint qui vera serant multumq; salubria in illa,*

*Sit qui suscipiat talia pinguis ager.*

*Sed quid ego repeto Musarum vota mearum,*

*Quæ pondus certò credo habitura suum?*

*Nec nos aversâ pro FUNDATORE Lycæi*

*Istius orantes negliget aure Deus.*



Gymna-

Hic





## XII.

**G**ymnasium Antiochus Rex sancta struxit in Vrbe,  
 Et noster Princeps struxit in Vrbe sua.  
 Illuc Gymnastæ Bacchi Venerisq; ruebant,  
 Nil curans verum turba profana Deum.  
 Ast hîc convenient D O M I N I qui discere Legem,  
 Artes & linguas discere quiq; volunt.  
 Si quis Pieriam circumspicit, ac Helicon,  
 Fonte Caballino vultq; levare sitim,  
 Bœotos adeat crassos, Turcasq; salutet,  
 Et Mufas quærat saxa per, & salebras.  
 Non Helicon, non hîc Musarum ductor Apollo,  
 Non hîc Pegasei fontis habentur aquæ,  
 Hîc est mons Zijon, hîc & fons Israëlis  
 Vivas perpetuo gurgite fundit aquas,  
 Per quas imbibitur Sapientia vera, fidesq;  
 Credentem Cœli quæ super astra locat.  
 Hîc est, qui salvet, vitæ Dux, Christus Iesus,  
 Spiritus hîc sanctus pectora sanctificat.  
 Tu Pater omnipotens, cum Nato, & Flamine sacro,  
 Perpetuò noster Gymnasiarcha mane,  
 Doctores pariter tu, Discipulosq; gubernas,  
 Facq; sit ut Verbi lectio pura tui.  
 Hîc nemo liquidis immittat fontibus Apros,  
 Nec Christum argutus pellat Aristoteles,  
 Non Thomas, non qui falsò se nomine Iesu  
 Venditat, aut Doctor vafra Geneva tuus.  
 Conserve etiam incolumem, tuearis, & ornes,  
 Extollas, firmes, multiplicesq; Ducem  
 Saxonix, hoc magnis qui suntibus ædificavit,  
 Et sustentabit nobile Gymnasium.

*M. Iohannes Faber Rodachensis.*

Arguit





XIII.

**A**rguit ignivomas volitans super aethera flammæ  
Fumus: & evincit splendor adesse faces:  
Pectora sermo probat: si justus, justa tuetur,  
Sin malus est, cæco flagrat amore mali:  
Num bona, num mala sit, num fertilis, ane maligna  
Arboris ex fructu noscitur ipse decor?  
Haud aliter factis constat, quid corda revolvant,  
Ausisq; egregijs mens generosa patet.  
Ergò Coburgiæ quod Princeps Magnus in oris  
Sumptibus illustrem fecit uterq; Scholam:  
Comprobat hoc animum verâ pietate paratum,  
Quiq; fide purâ & religionem micet.  
Scit bene: cælestis quod sint habitacula Patris  
Ludi, quos vigili Christus amore fovet.  
Scit bene: quod pietas, virtusq; paretur in istis,  
Hæc placet ipsa foro, sed placet illa polo.  
Scit bene: quod doceant pia pulpita gnæviter artes,  
Et linguas varias, optima dona Dei.  
Scit bene: de ludis tanquam de vertice Phæbi  
Promanet terris hisce quòd omne bonum.  
Spiritus ut vitæ, vigor ut defertur ad artus  
Humanos, venis devehiturq; cavis:  
Haud secus illustris Schola confert structa Coburgi:  
Aedes in sacras religionis opus.  
Iustitiâq; forum, gentesq; tenere superbas  
Et pacis leges junâq; ferre docet.  
Quot latera, & lapides domus hæc & tecta Lycei  
Continet illustris: tot bona mille precor.

Quæss



*Quo is AVLAE, atq; SCHOLA pura bonitate quotannis  
Condecorare velit singula membra DEVS.*

*Sic DVCIS atq; DEI nomen laudesq; virescunt  
Semper, & eternâ prosperitate vigent.*

M. Immanuel Hasius Aumenfis,  
Scholæ apud Ienenses Senatoriæ  
Rector.



XIV.

*Sic te dia benignitas,  
Sic temet placidi dextera Numinis,  
Musarumq; regat Pater,  
Spesq; & vota bonos ducat ad exitus,  
Cætus, qui tibi creditas  
Debes Literulas innocuas, piam  
Verbi salvifici & Fidem,  
Oris magnanimæ Francidos inclytis:  
Tradas incolumes precor,  
Et serves animæ dimidium piæ.  
Illis verus amor Dei,  
Et mitis pietas pectora condidit,  
Qui dudum, miserabile,  
Languentem exsiliis, sortis & aspera  
Quassam turbine, suscipis  
Clemens hospitibus Eusebien novis.  
Illam perpete gloriâ  
Nullo clausa ferent secula termino,  
Qui tam splendida culmina  
Struxit magnificis sumtibus ædium,*

*Doctis*



*Doctis tecta Sororibus,  
Exoptata bonis otia literis.*

**O GERMANA POTENTIUM.  
MAIORUM SOBOLES, didita posteris**

*Quorum gloria seculis,  
Immunis senii, perpetuum nequit  
Condi nube silentii,*

**PRINCEPS, SAXONICIS edite REBUS!**

*O mitis PATRIÆ PATER!  
Magnum presidium & dulce decus tuis!  
Cedant cuncta tibi bene.*

**SUMMUS REX HOMINUM, res hominum sue  
Versans arbitrio, tibi**

*Clemens vota bono prosperet exitus:*

*Det, spe plura feras tua,  
Optatis superans gaudia fructibus.  
Nectat secula seculis*

*Aevo firma manens invariabili*

**MUSIS structa DOMUS PIIS.**

*Sedem RELIGIO figat ibi suam,*

*Cultrix integra Numinis:*

*Illam LITERULÆ suspiciant BONÆ*

*Absint lubrica dogmata,*

*Quorum corda fugit candida veritas:*

*Et deliria subdola,*

*Qua vanæ ambigam mente coquunt fidem:*

*Absint perfida pectora,*

*Quorum mens, gelida livida toxico*

*Cacis imminet ictibus,*

*At vox blanditiis mollibus affluit.*

*Absint tristia nubila,*

*Vesana & statuat Nequitia modum*



RERUM MAXIMUS ARBITER!  
*Gensq; insana minis se viat irritis.*  
*Ab, PAX aurea, PAX Pia*  
*Adsit, nec trepido nos fugiat pede!*  
*At te, MAXIME PRINCIPUM,*  
*Tantis pro meritis prosperitas beet*  
*Incorrupta molestiis:*  
*Et vitam vegetis viribus asserat,*  
*VITÆ TEMPORA PORRIGENS,*  
*In mortem celeres ne properent dies.*

Humilimæ subjectionis & boni  
omnis ergò F.

*M. Zacharias Scheffer Cygneus Megalb.*  
*in illustri Gymnasio Casimiriano*  
*Philosophiæ P.*



XV.

**E**T si fors Musas exercet iniqua misellas,  
Dulcis & illarum passim submersa per orbem  
Fama latet, dum thesauros sibi maxima quærit  
Pars hominum, quærit census, Helicone relicto.  
Mente tamen quorum melior sententia surgit,  
Iudiciuinq; ferunt sanum, nec vana tuentur,  
Musarum his animo nunquam pia cura recedit:  
Pierios cætus sed complectuntur amore,  
Illos qua possunt ratione juvare, juvantes.  
Laudibus Alphonsus celebris: Carolusq; Monarcha,  
Quem res gestæ olim Magnum fecere vocandum,  
Clarus honore nitet, pulchras quòd Apollinis artes  
Foverit, atq; viros doctos adamaverit, amplis

Laudi-



Laudibus Omnipotentis ut inserviret, & artes  
Ingenuas ad posteritatem mitteret omnem.  
Non aliam ob causam, quæ cernis, splendida tecta,  
Condita mira arte, & variis ornata figuris:  
Quæ vel Pyramides olim alta ad sydera ductas,  
Eleo vel templa Iovi sacra, vincere possent,  
Extracta esse putes, & prædita dotibus amplis;  
Quàm sacri ut cultus omnes serventur in annos.  
Mœnia cœrulei moderantis ut aurea Cœli,  
Illustretur honos; dulces foveantur & artes,  
Vitæ quæ nervi existunt, fontesq; bonorum,  
Equibus utilitas vitæ fluit, & decus omne.  
Principis hinc ergò laus Illustrissimi, honorq;  
Semper erit, donec fulgebunt sydera cœlo,  
Aëre donec aves volitant; natat æquore piscis.  
Namq; polo veluti micat aureus hesperus alto,  
Præ reliquis stellis: sic sacrum splendet in orbe  
Hoc opus inter res alias, & fortia facta,  
Hisce bonis autem fruerè ô studiosa juvenus,  
Semper inoblita ut repetas hæc munera mente:  
Atq; voca in tua vota DEUM, Illustrissimus ut Dux  
Exigat innumeros annos & secula felix.

*M. Iohannes Dresserus Scholæ Coburg.  
Collaborator.*

XVI.

*Votum pro novo Gymnasio CASI-  
MIRIANO Coburgensi.*

O DEUS cœlis residens in altis,  
Cuncta qui nutu regis & tueris,  
Te preces nostras petimus benigno  
Suscipe vultu,

Sint



Sint Tibi grates, D E U S a sine, semper:  
Nam Scholas servas; rabiem retundis  
Impii coetus; pia das sereno

Dogmata verbo.

Ecce IOHANNES CASIMIRUS ille  
SAXONUM PRINCEPS meritò per oras;  
Qui bonus, prudens, pius est, benignus,

Iustus & æquus;

Denuò struxit nova nunc Lycea;  
Artibus claris vigeant in ævum:  
Hinc Pater PRINCEPS patriæ vocatur

Tempore cuncto.

Is D E O servit; teneram juventam  
Qui fovet, nutrit, docet, & gubernat:  
Illius nam qui facit hoc manebit

Fama superstes.

Hunc Patrem verè, D E U S ô benigne,  
Protegens serva; procul hinc ab arce  
Omne quod nobis nocet; & repelle

Dogmata falsa.

Hanc Scholam serva; rege Tu labores:  
Vt Tuum Nomen celebretur alium:  
Ne lapi diri veniant vorantes

Dogmata vera,

Vivat Hic PRINCEPS, videatq; Natos:  
Vivat ERNESTUS quoq; secla multa:  
SAXONUM stirps hæc vigeatq; tota

Omne per ævum.

*Humilima subiectionis ergò fecit*

Iohannes Hoffer  
Coburg.

A D





**A**D DEI OPTIMI MAXIMI CREATORIS,  
ET FILII EIVS IESV CHRISTI, DOMINI  
ET SALVATORIS, ET SPIRITVS SANCTI  
SANCTIFICATORIS ET CONSOLATORIS  
NOSTRI GLORIAM,

DEI EIVSDEM GRATIA  
IOHANNES CASIMIRVS, DVX SAXONIAE,  
COMES PROVINCIALIS THVRINGIAE,  
MARCHIO MISNIAE, &c.

ET PROPRIA PIETATE, AC BENIGNA ER-  
GA SVBDITOS AFFECTIONE, ET AVI AC  
MAIORVM SVORVM LAVDATISSIMORVM  
EXEMPLO MOTVS,

GYMNASIVM HOC, VERÆ, ET IN VERBO  
DEI FVNDATÆ RELIGIONIS TEMPLVM,

VIRTVTVM, ARTIVM LIBERALIVM, ET  
LINGVARVM CARDINALIVM OFFICINAM  
AC DOMICILIVM,

ECCLESIAE AC REIPUBLICÆ SEMINARIVM,  
PRÆSIDIVM, AC ORNAMENTVM,

EXTRVXIT, INSTITVIT, DOTAVIT, EOQVE  
FRANCONIAM DECORAVIT,

ANNO POST NATIVITATEM CHRISTI.

---


M D C I V.



SACRATA  
A. D. DEI OMNIPOTENTIS PATRIS  
ET FILII ET SPIRITUS  
SANCTI SACRAMENTUM  
SACRIFICATIO ET COMMUNIO  
VOSTRE GLORIE  
DEUS PATRIS OMNIPOTENS  
IOHANNES CASIMIRUS DUX SAXONIAE  
COMES PROVINCIARUM THURINGIAE  
MARCHIO MISSIS  
ET PROPTER HONORABLEM BENIGNAM ER  
GA SYMBIOSI AFFECTIONE ET AVI AC  
MAIOREM SUORUM LANDATIS MEMORIAM  
EXEMPLE NOTAE  
CASAQUE HOC VERE ET IN VERBO  
DEI TRONATE SACRAMENTUM FIAT  
VIRTUTUM ARTIVM LIBERIVM ET  
LIVORVM CARDINALIVM OFFICIAM  
AC DOMICILIVM  
ECCLESIA AC BENEFICIA SEMINARIUM  
PRAEIDIUM AC ORNAMENTVM  
EXTREMITATE INSTAVIT DOTAVIT BOOYE  
FRANCOGALLIA DECORAVIT  
ANNO POST NATALE DOMINI CHRISTI  
M D C L V













2/2  
H. 2274

ULB Halle 3  
004 950 658



VD 77

M









*Carminag*  
 A  
 ILLUS  
 MUM C  
 MVMQVE PR  
 DOMINUM, D. IO  
 RUM, DUCEM SA  
 vium Thuringiæ, Ma  
 Principem opt  
 tiffi  
 MVNIFICE  
 FVNDATOREM IL  
 sii Casimiriani Sa  
 burgi feliciter apertum  
 M.  
 Submissæ  
 Debitæ gr  
 Humilima  
 C O B  
 Typis Ducalibus, per

